



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De clauibus. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

terius purgat à cōtagione & fœtore peccati: quid ergo mundat? quid dimittit sacerdos? vbi sunt clauis illæ, quas Dominus tradidit Petro & successoribus eius, dicens, Tibi dabo clauis regni cœlorum? & Quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta, &c. Vt autem præmissa quæstio plenius explicari valeat, quasi altius ducto reti, de his clauibus, & vsu earum differamus.

De clauibus.

B

Clauis istæ non sunt corporales, sed spirituales, scilicet discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno ecclesiasticus iudex: qui sicut habet ius ligandi, ita soluendi. Vnde Ambr. Dominus parius soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Et infra, Cerrum est, quod ecclesiæ vtrumque licet, hæresis vtrumque non habet. Ius enim hoc solis permixtum est sacerdotibus. Rectè ergo ecclesia hoc sibi vendicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vendicare non potest, quæ veros sacerdotes non habet.

Ambr. ca. 2.
lib. 1. de pœnitent. to. 1.

Ibid. paulo inferius.

De vsu clauium.

C

Vsus vero harum clauium multiplex est: discernere, scilicet ligandos & soluendos: ac deinde ligare vel soluere. Qui enim vt ait Greg. indignos ligat vel soluit, propria potestate se priuauit, id est, dignum priuatione se facit.

Si sacerdos potest dimittere vel retinere peccata. D

Sed queritur, Vtrum à peccato soluere valeat sacerdos, i. à culpa: vt culpæ maculam abstergat, vel debitum æternæ mortis soluere valeat? Quidam arbitrati sunt, cū peccator dupliciter ligatur: reueatur, vt prædictum est, scilicet mentis contagione ac cæcitate, & debito futuræ pœnæ: alterum curari per Deum,

Opinio quorundam.